S.MI D. N. D.

CLEMENTIS PAPAE VIII.

CONSTITVTIO

Contra Religiosos Congregationis Camaldulensis Dignitates, Prælaturas, & Officia dictæ Congregationis quouis modo procurantes, & propterea personarum de gremio eiusdem Congregationis non existentium fauoribus vtentes.



ROMAE

Apud Impressores Camerales. M. D. XCVI.

CLEMENS PP. VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

AMBITIOSAM honorum & dignitatum cupiditatem Eccleſiaſticos omnes, ſed Religioſos præſertim, qui in humilitatis ſpiritu Deo ſeruire tenentur, ita euitare decet, vt ipſi Prælaturas minimè requirere, ſed eas, vocati vt Aaron obedienter ſuſcipere, & humiliter adminiſtrare ſtudeant. Huius ſiquidem ambitionis malum ex ordine Camaldulenſi in quo apud nonnullos qui proprijs Religioſarum virtutum vt deceret meritis inniti non valentes, ad ordinis eiuſdem dignitates, & gradus etiam maiores ijs quos forſan obtinent, per mendicatos S.R.E. Cardinalium, & Principum etiam ſecularium fauores aſſumi procurant, vigere, non ſine animi noſtri dolore accepimus, quantum cum Domino, poſſumus, euellere cupientes. Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulos Monacos prædicti ordinis & Congregationis Camaldulenſis cuiuſcũq; ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & literaturæ exiſtentes, qui nimirùm pro quibuſcũq; Prælaturis, dignitatibus, muneribus & officijs, etiam ijs, quæ obtinent, maioribus in dicta Congregatione conſequendis, ſiue pro remiſſione pœnarum eis impoſitarum, aut alijs quibuſcũq; gratijs impetrandis, ad Principum quorumcumq; tam Eccleſiaſticorum etiam S.R.E. Cardinalium, quam Sæcularium, ac Prælatorum de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium fauores recurrerint, eosq; requiſierint, vel ijs etiam ſpontè delatis, aut ab alijs etiam ipſis inſcijs procuratis vſi fuerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, alijsq; vijs directè vel indirectè, palam vel occultè ad dignitates ſeu officia in Congregatione prædicta obtinenda aſpirauerint, vel alijs minus legitimis & honeſtis rationibus, ea obtinere procurauerint, illorumq; complices, & fautores, ad qualcumq; Prælaturas, dignitates gradus honores, & officia tàm ſpiritualia quàm temporalia, & præſertim in ipſa Congregatione obtenta vel obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis Prælaturis, Dignitatibus, adminiſtrationibus vel officijs eò ipſo priuamus, ac priuatos voce actiua, & paſſiua carere, pœnasq; huiuſmodi à nobis tantùm, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris remitti poſſe decernimus, & declaramus, omnes, & ſingulas ſupradictas pœnas ad eos etiam extendentes, qui ne ex aliquo Monaſterio remoueantur, ſeu vt in alterius Monaſterij familia deputentur, contra Capituli, ſeu ſuperiorum voluntatem ſupradictas litteras, ſeu fauores exquirere, & obtinere præſument. Quocirca in virtute ſanctæ obedientiæ ac indignationis noſtræ, alijsq; omnibus prædictis pœnis dilectis filijs Generali, Viſitatoribus, Diffinitoribus, alijsq; Prælatis quocumq; titulo nuncupatis præſentibus, & futuris præcipimus ac diſtricte mandamus, ne aliquos vllo vnquam tempore precibus, litteris vel fauoribus adducti, ſeu aliàs ad inſtantiam requiſitionem, vel contemplationem Principum Eccleſiaſticorum vel tẽporalium, etiam S.R.E. Cardinalium aut aliorum quorumcumq; extra gremium dictæ Congregationis exiſtentium ad cuiuſuis generis Prælaturas, dignitates, officia, adminiſtrationes & gradus promouere, vel pœnas aliquas remittere, aut aliam quamcumq; gratiam vt præfertur facere audeant, vel præſumant, immo promouendorum meritis, & virtutibus tantum inſpectis, quòd Dei cauſam agant memores ſint, quo magis puro, & ſincero corde nulla priuata, aut mundana affectione commoti, in electionum negocio procedant. Decernentes electiones, & promotiones ad Monaſteria, ſeu ad quæcũq; alia officia dicti ordinis ſic litteris, aut alijs fauoribus Principum, & Prælatorum quorumcumq; vel aliorum extra gremium, vt præfertur exiſtentium, eorumq; precibus, aut pollicitationibus iniuſte, ac indebite extortas, ſeu aliàs quandocumq; faciendas, & pro tempore obtentas nullas prorſus, inualidasq; fore, & eſſe, & aduerſus eos, qui his minus legitimis rationibus ad regenda Monaſteria, ſeu ad alia quæcumq; officia, ſe eligi aut aſſumi obtinuerint, per eiuſdem Congregationis ſuperiores quandocumq; procedi, & rei

A 2 veritate

veritate cognita condignis pœnis, tanquàm publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores afficí posse, & debere: Et ita per quoscũq; Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungẽtes, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attẽtari. Non obstañ quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac dictorum Congregationis, & ordinis, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus priuilegijs quoq; indultis, & Litteris Apostolicis, illis, & illorum Superioribus sub quibuscũq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, & confirmatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice, Motu & scientia similibus, latissimè derogamus, contrarijs quibuscumque. Aut si prædictis Congregationi, & Monachis, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non posſint, per litteras Apostolicas: non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ac vt harum Litterarum notitia ad omnes dictæ Congregationis Monachos facilius deueniat, Volumus illas in generali dictæ Congregationis Capitulo quotannis publicè legi, ibiq; lectas omnes sic arctare, ac si legitimè vnicuiq; intimatæ fuissent, illorumq; exemplis, vel impressis manu scribæ dicti Capituli, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Generalis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate Ecclesiastica constituti obsignatis, eandem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, Die tertia Septembris, Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri, Anno Quinto.

M. Vestrius Barbianus.